

Petrus de Vinea

*Ep. V 133 (Discedentes de Regno
nostro feliciter, presentes...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 133 (Discedentes de Regno
nostro feliciter, presentes...)*

giugno 1248

Increpando scribit rationalibus suis Apuliae super mittenda pecunia, et ut obediant nuntio.

1. Discedentes de Regno nostro feliciter, presentes ibidem haberi credidimus; sed, prout ab experto cognoscimus, utinam presentes alicubi et uiuentes et ualidi crederemur, quin potius, quod dolentes et uerecundi referimus, tamquam si uos et alios officiales nostros salutis et uitae nostrae cautos sollicitudo non redderet, necessaria uictui nostro subducitis, ut nedum honorifice uincere sed necessario etiam uiuere non possimus! 2. Ad excitandam igitur tuam et aliorum nostrorum tam perniciosam officialium ipsius personae nostrae desidiam, P. uenerabilem Pactensem episcopum, fidelem nostrum, in Regnum nostrum prouidimus destinandum. 3. Ad cuius aduentum preter mittentis imperium missae personae qualitas moneat: quem uelut obsequiis curiae nostrae perutilem a nostris aspectibus separamus inuiti. Nisi quod nos eo usque necessitas ipsa perduxerat, quod corporis nostri partem, si fieri posset et natura permetteret, necessario misissemus, quod totum et integrum e uicino uobis cum palma desideratae uictoriae pollicemur. 4. Quicquid denique dictus episcopus uobis super hiis ex parte nostra dixerit et mandauerit, indubitanter credere et efficaciter adimplere curetis.